

parte glaber vel ad angulos tantum pilis sparsis mollibus varie curvatis subprostratis adpersus. Folia *radicalia* obovato-oblonga, in petiolum ipsorum longitudine attenuata, remote dentata: dentibus subinde obsoletis, rarius profundioribus et deorsum spectantibus, ita ut folia runcinato-dentata evadant, plerumque glabra nec nisi in specimenibus brevicaulibus pilis sparsis mollibus varie curvatis subprostratis praesertim margine et subtus ad costam mediam induta; *caulina* angusto-oblonga, sessilia, dentata, quo magis versus apicem caulis inveniuntur eo angustiora et subinde uti caulis villosa. Pedunculus lateralis, ubi adest, ipsius caulis longitudinem attingit. Flos aureus, speciosus, magnitudine H. aurei. Anthodium integumento e villo, pilis longioribus et glandulis stipitatis composito plus minus dense obiectum. Achenium e lufescente brunneum, striis elevatis obiectum. Pappus pilosus, albus, longitudine circiter achenii.

H. aureum a nostro diversum: scapo plerumque exacte aphylo, foliis radicalibus runcinato-pinnatifidis, anthodii indumento et florum colore.

5. HIERACIUM POLYTRICHUM. m.

H. caule erecto subramoso paucifolio inferne parce lanuginoso apice calyceque pilosissimo: pilis flavescensibus parce lanuginosis; radicalibus caulinisque infimis in petiolum longum attenuatis subruncinato-pinnatifidis; superioribus sessilibus; supremo subintegro.

H. polytrichum. *Ledeb. Ic. pl. Fl. ross. alt. illustr. t. 461.*

Hieracium foliis pinnatifidis, hinc hastatis, pedunculis longissimis, nudis. *Gmel. Fl. sib. II. p. 22. No. 19. t. VIII. f. 1.*

Hab. in lapidosis asperis alpinis ad fl. Tschegan in fl. Tschuja defluentem (B.). Fl. Jul. 4.

Caules plures ex eadem radice, 4 — 9-pollicares, erecti, parum flexuosi, in ramos 2 vel 3 unifloros divisi vel simplicissimi uniflori, foliis tribus aut duobus, si autem uniflori sunt, folio unico instructi, maxima ex parte lanugine alba tenui adpersi, apice vero pilis longissimis patentissimis flavescentibus densissime obtecti. Folia *radicalia* oblonga, subruncinato-pinnatifida, acuta, in petiolum foliis duplo fere longiorem sensim attenuata, superficie inferiorem caulis partem aemulans; *caulina* saepius tria, rarius duo, aut in caulibus unifloris unicum; *infimum* radicalibus simillimum; *intermedia* sessilia, subpinnatifida, superficie caulis, subtus tamen per rachidis longitudinem pilis longis plus minus raris obsita; *supremum* subintegrum aut dente uno alterove munitum, subinde basi subsagittatum. Pedunculi laterales (sive rami, quos semper unifloros observavimus) plerumque caulis apicem non attingunt, rarius ad ejusdem altitudinem prolongantur, rarissime illum supererminent. Flos inter maximos hujus generis, flavo-aureus. Anthodium pilis longissimis patentissimis flavescentibus densius fere quam caulis apex obtectum. Achenia ochracea, striis elevatis notata. Pappus pilosus, albus, longitudine circiter achenii.

Synonymen *Gmelini* certe ad nostram plantam pertinet, nec ad *H. croceum Lamarck*, cui a celeb. auctore adducitur, quod e descriptione utriusque plantae inter se collata facile apparet. *Lamarck* *H. croceo* flores aurantiacos vel croceos adscribit; *Gmelinus* de sua planta affert: „Singulorum ramorum extremis, singuli flores flavi haerent.” *Lamarck* anthodium dicit: „pilis nigricantibus” obtectum; in *Gmelini* descriptione legitur: „calyx, qui summitatis pediculorum instar pilis albescentibus rigidiusculis hirtus est.”

De identitate *Gmeliniana*e plantae cum nostra non dubito, licet illius folia „glaberrima et glauca, nequaquam lanuginosa” dicuntur, quae in nostra lanugine tenui adpersa sunt. Foliorum *indumentum* nimirum quam maxime esse variabile, nemo nescit, cujus etiam exemplum in specie antecedente videre licet.